Scipio miseratione divina tituli sancti Chrysogoni presbyter Cardinalis Burghesius Discreto viro Confessori Magistro in Theologia vel decretorum doctori ex approbatis ab Ordi-
nario per Latricem presentium ad infrascripta specialiter eligendo Salutem in Domino. Ex parte Latricis presentium nobis oblata petitio continebat, quod ipsa in decimo sexto circiter aetatis
suae anno vovit castitatem servare. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat Latrix praedicta modo in vigesimo secundo circiter aetatis suae anno constituta ob stimulos carnis
quos patitur continenter vivere posse diffidat, pro suae conscientiae quiete cupit sibi votum huiusmodi ad effectum nubendi in alia pia opera per sedem apostolicam commutari. Quare
supplicari fecit humiliter sibi super his de opportuno remedio provideri. Nos igitur qui Poenitentiariae Domini Papae curam gerimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica
specialiter nobis commissa discretioni tuae committimus, quatenus si tibi esse ac Latricem (audita prius ipsius sacramentali confessione) stimulis carnis adeo agitatam ut maxime dubi-
tet continere posse et propterea de eius incontinentia probabiliter timendum esse per diligentem Latricis examinationem, ac post monita et consilia opportuna illi praestita
inveneris, eandem Latricem a mutatione propositi huiusmodi si tibi videbitur absolvas hac vice in forma ecclesiae consueta, iniuncta ei poenitentia salutari, sibique votum praedictum ad hoc tantum, ut ma-
trimonium contrahere licite valeat, dispensando commutes in frequentiam sacramentalis confessionis per alterum suorum singulis sex mensibus vel minimum semel, vel quoties tibi vide-
bitur, et in alia pia opera per te iniungenda, tamdiu duratura quamdiu coniunctioni praedictae locus erit, inter quae sint et aliqua pietatis quae quotidie facere teneatur ad eum
finem ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua huiusmodi voto adstringebatur, prout secundum Deum ipsius animae saluti expedire iudicaveris, et cum eadem
ut matrimonium sic contrahere, et in eo postmodum debitum coniugale exigere et reddere licite valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiae et in ipso actu sacramentalis
confessionis tantum, et non alias, neque ullo alio modo. Ita quod si viro cui coniungetur supervixerit, castitatem servet ut praedicta eodem voto ut prius obligata, et si unquam extra
matrimonium fornicata fuerit, aut matrimonium absque nova dispensatione contraxerit intelligat se contra votum huiusmodi facere et debitum coniugale exigere non posse et
ita illam moneas. Datum Romae apud sanctum Petrum sub sigillo Officii Poenitentiariae sexto idus decembris Pontificatus Domini Gregorii Papae XV Anno Primo

Jo. Baptista Alterius pro Correctore

Gratis ubique R. Ginnu.s Sigillator

Perg. 59

Discreto viro Confessori Magro in Theologia vel decretorum doctori seu ap-
probatis ab Ordinario per latorem presentium ad infrascripta speciale eligendo.

Gomez

Gratis ubiq R. pmiu. Sigillr.

n.º 47

Sor Duarte Pereira mi. sro consie

L M. P. Leo

P. Brissonus